AD QVODLIBETARIAM·

QVÆSTIO MEDICA MATVTINIS AGITANDA DISPVTATIONIBVS IN SCHOLIS medicorum, die iouis I. Decemb. M. CLAVDIO DE POIS Doctore Medico moderatore.

An medicus homini Deus?

QVÆCVMQVE sunt hominis, φιλάνθρωπος si quis alius ac Deus alter apprime nouit medicus. Eius mentem ἀμάλλοιον ἄφθαρτον, ἀθάνατον è suprema mente tanquam diuinæ particulam auræ deducit, proximam vero corporis originem, animato parentis vtriusque semini, atque muliebri menstruo, primam vero atque summam quatuor rerum primordiis igni, aëri, aquę, terrę repressa qualitatum exuperantia, καθόλου permistis tribuit, atque vt ex hac substantiarum elementarium, principúmque qualitatum concretione, varias in humano corpore temperamentorum differentias, vnum temperatum, octo intemperata, colligit, quin & vniuerso homini suum temperatum, ad pondus, scilicet & ad iusticiam, singulisque corporis partibus, ætatibus, sexui temperamentum assignat, cerebrum frigidum, cor calidum, pueritiam calidam humidam, senectutem frigidam siccam, virum fœmina calidiorem, atque ita de cœteris duce tactu, comite ratione statuit, sic è concepto in vtero semine, eóq; menstrui illapsu sensim adulto, partes alias spermaticas, alias similares, alias sanguineas, alias organicas, humore illo seminali, oleoso, primigenio conspersas effingi caloris insiti miranda vi, partes omnes suas facultates obtinere, atque inter principes cerebrum, animalem motu sensúque reliquis per neruos concesso, cor vitalem per arterias vitali spiritu transmisso, iecur naturalem sanguine nutricatus & accretionis ergô per venas distributo, testes procreatricem elaborato vltimo partium alimento in naturæ fundum mulieris vterum recto tramite coniecto conspicuam animaduertit. Earum facultatum ope, spiritu triplici per superiores tubos influente, vitam contineri, functiones omnis generis, nutritionem, accretionem, procreationem, pulsum, respirationem imaginationem, memoriam, ratiocinationem proprio partium temperamento adiutas exerceri. Denique quatuor humores, cum suo sero ab hepate continenter gignui, excrementa primæ, secundæ, tertiæ coctionis ad vitæ tutelam ac diuturnitatem assidue secerni conspicit.

NEQVE vero satis esse putat eximiam corporis structuram tot facultatibus adornatam intelligere, nisi & integram quantum, & quandiu licet, tueatur atque conseruet, triplicis substantiæ spirituosæ, humidæ, ac solidæ, iacturam re sarciat. Quam in rem aërem liberum, perflatum, lucidum, temperatum, vt & potum vini optimi, clari, tenuis, odorati, flaui, vel subrubri, media ætate, & vi, eiusdemque moderate diluti, hyeme tum meracius, tum parcius, vere, & æstate, tum copiosius, tum dilutius sumere statuit. Cibis εὐχύμοις, εὐπέπτοις, εὐκράτοις vtendum docet, Polychymis, ab arte pistoria paratis, fructibus horariis, crudis, itemque ab acribus, piperatis, acutis, salsis, dulcibus, omníque excellenti qualitate prędítis interdicit. Quæ omnia vt integram sartam tectamque sanitatem seruent, exercitationem vt frictionem matutinam (qua corpus redditur εὐδιαφόρητον) leues per amœna, atque virentia loca æstate, sub vmbra, procul ab arboribus noxiis nuce, narcisso, taxo, aliisque rore suffusis infici credita commendat, vt à labore quietem. Horis autem duabus à cœna, somnum, per noctem circiter horas octo inire suadet, diurnum damnat, vt & vigilias inmoderatas, scilicet attenuant iuuenum vigilatæ corpora noctes, ne minus de singularum corporis partium excrementis sollicitus esse solet, immo & veneri modum statuit, cuius, vt abstinentia licet corpus impleatur ventriculus tamen, & corpus confirmatur, ob id sæpius monet, vt ius connubij longis ex interuallis persoluatur quod scilicet vigorem, alacritatem, meliorem spirationem post se potius relinquat, quam tristitiam, segniciem, exolutionem. Denique animi perturbationes, iram, tristiciam, sollicitudinem, intempestiua studia, meditationes longas, atque intentas, curas graues, & si quæ sunt alia animi pathemata, quibus corpus varie solet affici, quantum potest enititur compescere.

ANIMVERO ab infestissimis naturæ hostibus, affectibus scilicet contra naturam corpori insidentibus, eiúsque functiones lædentibus, morbis ac symptomatis hominem vindicat, causas horum procatharticas, antecedentes, vtrámque plethoram tam ad vasa, quam ad vires, & cacochymiam quamlibet minuit, & expurgat, *coniunctas vacuat*, mox omnem intemperiem simplicem, cum humore coniunctam emendat, sicque partibus similaribus suum temperamentum restituit, *meatus per quos distribuuntur*, feruntur contenta, adstrictos dilatat, obstructos soluit, nimiam partis capacitatem coarctat, perperam exasperata læuigat, vitiatam corporis aut partis figuram corrigit, exuperantem magnitudinem & numerum reprimit, dimotas partes sua sede reponit, mutuámque partium societatem, atque connexionem, quantum natura, & ars patiuntur, restituit, sicque suam instrumenti sanitatem reddit, fractis, fissis, punctis, incisis, ruptis, & aliis id genus continui solutionibus medetur. Denique morbis omnibus solitariis, comitatis, compositis, implicitis, connexis, consequentibus, separatis, manifestis, occultis, venenatis, pestilentibus, contagiosis opitulatur: Sicque tria omnino symptomatum genera, actiones læsas, simplices corporis affectus, excrementorum vitia, sublatis tum morborum causis, tum morbis cogit euanescere.

QVOD vt facilius præstare possit, hoc est morbos sæpius in intimo corporis recessu conditos depellere, signa omnia diligenter inquirit, quorum subsidio partem affectam, morbi speciem, causam, euentum pernoscat, pathognomonica præcipuè notat, nec assidentia, sine communia spernit, eáque vndecúmque petit ab excrementis, actione læsa, doloris proprietate, situ loci, natura, colore, propriis accidentibus, ægri moribus, insomniis, rebus iuuantibus, aut lædentibus, proprio corporis partiúmque principum temperamento, natura à parentibus inducta. Et inter actiones pulsum imprimis cordis arteriarúmque motum, ex diastole & systole constantem, natiui caloris moderarorem, salutis aut necis indicem contemplatur, diastoles illius quantitatem, vehementiam, arteriæ qualitatem, perfusionem, ictuum interuallum, æqualitatem, inæqualitatem anxie disquirit, causas horum omnes secum reputat, quas in facultatem mouentem à corde profectam, in instrumentum puta arteriam, & vsum refert, indéque virium robur colligit. Sic in excrementis, vrinas, serum vehiculum sanguinis renum vi secretum, alui fœces, vomitus varios, sudores speculatur, nec cerebri mucum, sputa, aliaque vniuersi corporis partiúmque excrementa prætermittit, corporis, molem, characterem, colorem intuetur, omnia denique quæ pręter naturam ægris solent contingere sigillatim notat, vt certam in arte maxima ex parte opinabili ac coniecturali, ex iecoris, principúmque partium & humorum statu morborum diagnosin, prognosin, atque therapeiam possit instituere.

NEC illi labor hic inanis est, in hominis sibi proximi vsum susceptus, sic enim pręsidia omnis generis illi comparat, diætetica, chirurgica, pharmaceutica, frigidis calidam intemperiem emendat, calidis frigidam, immodicam exuperantiam in plethora deplet, turbulentam humorum agitationem, atque fluxionem sedat inhibet, & reprimit, cacochymiam, per vomitum, aluum, vterum, vrinas, sudores aliáq; partes vacuat, crassa tenuat, lenta deterget, acria frigidis atque glutinosis illinit, partium laxitatem intendit, corruptionem alexiteriis, ac alexipharmacis inhibet, continui solutioni medetur glutinantibus, sarcoticis, epûloticis, atque in conquirendis mari, & terra, vndiquáque medicamentis, semper per contraria curandi legem seruat; obseruatis indicationibus à morbo, viribus ægri, temperamento, habitu, consuetudine, anni tempore, cœli constitutione, & aliis, nil nisi experspicientia causarum morbificarum, signis omnibus perspectis, molitur occasionem, & oportunitatem medendi semper arripit, ne quid inconsulto ac temere, spagyritarum more, fecisse videatur, quorum in arte medendi tanta est imperitia, vt neglecta tot rerum necessariarum cognitione, cuisque promiscue suum in dolore laudanum ἀνώδυνον offerant, croco metallorum, stibio varie præparato, hydrargiro sublimato, vitriolo albo, aluum, deiectiones, sudores promoueant, magno ægrorum detrimento, inustáque nobilibus partibus, præsertim ventriculo & intestinis labe, quæ nulla posthac arte possit elui, in hoc hominibus lupi, à veris medicis multum dispares, qui hominis, cœterarúmque rerum notitiam habent, in hominis vtilitatem omnia referunt, sanos conseruant, ægros liberant, fœlicésque reddunt.

Ergo medicus homini Deus.

Asserebat Lutetiæ GASPAR BRAIER, Castrithierricus, Anno. R. S. H. M. DC. XVI.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Joannes Martin.	*M. Ægidius le Blanc.*	*M. Stephanus de la Fon. Prof. Reg.*
M. Michael Seguyn.	*M. Guillelmus de Vailly.*	*M. Carolus Bouuard.*
M. Petrus le Comte.	*M. Ioannes Maunoir.*	*M. Claudius Charles. Prof. Reg.*